AD

MUSAS,

UT,

PARNASSO DESERTO,

Cantabrigiam

Incolant, eamque ſuum conſecrent

HELICONA.

ΠΡΟΤΡΕΠΤΙΚΟΝ;

Almæ Matri Academiæ.

CANTABRIGIÆ,

Ex Officina *Joan. Hayes*, Celeberrimæ Academiæ Typographi. 1676.

10 7 1913
LIBRARY

AD

Muſas, ut, Parnaſſo deſerto, Cantabrigiam *incolant, eamque ſuum conſecrent Helicona.*

ΠΡΟΤΡΕΠΤΙΚΟΝ,

Almæ Matri Academiæ.

POEMA.

Phœbe Pater, quacúmq; orbis tu parte vagaris,
Seu dilecta *Claros*, ſeu quæ fluitaſſe putatur
Inſula, frondoſo retinet te vertice pinus,
Scævorum ſeu tela virûm, ſeu *Thracius* hoſtis
Mille tibi mortes minitatur, mille dolores
Inſerit, exoſus vates, dulcéſq; *Camenas*,
Hùc age, nè dubita, ſacras hùc advehe turmas,
Hìc tua te teneant *Tempe* gratiſſima muſis,
Ipſa quibus domus *Albunea*, *Tiburq;* Colono
Argeo poſitum, regnatáq; rurâ phalanto
Invideant: vos hic Muſæ, ſi Græcia verſis
Nunc luget fatis, ſacrúmq; *Helicona* ſubegit
Ferrea barbaries, vos hic quoque lucus, & umbræ,
Et fontes, liquidíq; lacus, campíq; virentes
Hoſpitio dulci excipiunt: nec vos minùs illis
Quam ſacrâ *Pindi* lauro, riviſq; teneri
Credibile eſt; etenim choreis luſtraſtis & illos,
Auritáſq; *Deæ*, traxiſtis cantibus ornos:
Audior? an profugæ ſemper per luſtra ferarum
Pierides ſua ſacra ferent? incertáq; *Phœbus*

Antra colet, pulſis (miſerum!) toto orbe *Camænis*.
O nemora, ô ſancti colles, deſertáq; *Cyrrhæ*
Culmina, quis dignis ſperet lugere querelis
Immeritum exitii caſum? quis fata, doloréſq;
Et quæ prætereà patiuntur damna ſorores
Apollinides, triſti mœrens reſeraverit orbi?
Heu mihi! quæ viſus perſtringit ſcena furoris
Quis teneat lacrymas, dum tam crudelia ſpectat
Funera, quæ ſacri cumulantur culmine montis.
Nil niſi triſtitiæ facies ubicúnq; videtur!
Trux hoſtis flammis ardet, jubet ire per undas
Caſtalides, *Phœbus*, mòx ſeſe vela daturum
Promittit pelago, ſive illum turbidus urget
Fixus corde timor, facies ſeu dira tyranni,
Seu potius nova ſacra parat tellure litare
Brutigenûm in terrâ, tam ſævi eſt cauſa doloris
Barbaries: heu! quæ muſas explodit, & artes.
O ſcelus infandum! triſti juga ſacra boatu
Ut reſonant! mugit lucus, reſilire ſolebat
Qui plectro impulſus, ſqualent heu! Delphica luctu
Rura, ſonant mœſtis percuſſa fragoribus antra,
Heu *Hippocrene*, Cryſtallo purior unda
Sanguine decurrit, viduatáq; ſylva decore
Ludibrium ventis luget, proferre nec umbram
Cyrrha poteſt, ſacríq; exaret fluminis alvus!
Vertitur in taxum laurus, triſtíq; cupreſſu
Induitur vates, errat vagus exul in antris.
Tam fera fata deas ſub iniquâ ſorte fatigant!
Quid loquor? inſanus refero mendacia vatum,
Nam non trux *Boreas*, non ſævior obſtrepit *Auſter*
Phœbe tibi, exilium nullus tibi ſuſcitat hoſtis.
Squalet ut ante tuus ſemper mœrore *Cytheron*

Cædibus

Cædibus infamis potiùs, quam carmine notus,
Antra colenda feris, *Parnaßia* culmina, *Pindi*
Sacra juga, haud unquam ſacris habitata poëtis
Perpetuis rigeant nivibus, *Brittannia*, ſedes
Aptior, invitat muſas, campóſq; miniſtrat
Phœbe tibi, quos ſponte petis, non ſorte coactus.
O frugum modò terra ferax, genitrixq; diſertis
Plena viris, certè nunquam cui *Media*, ſylvis
Dives odoratis, nec ſe tibi conferat *Indus*,
Bactráq; nec certent. Ipſæ teſtantur *Athenæ*
Hâc cerni tellure ſophos, virtutis alumnos.
Crediderim primò, fureret cum dira tyrannis
Et profugus peteret *Phœbus* tuta antra camænis,
Illum ſperantem exilio ſolatia, certos
Veſtigâſſe lares, quin & tellure receptum
Fertilis innocua arva ſoli, ſylváſq; virentes
Poſthabitâ coluiſſe *Claro*, hic illius arcus,
Hic Pharetræ fuerant, nitidas hìc invenit undas,
Quæ poſſint ſedare ſitim, mentémq; calori
Reddere *Pierio*, lucos hic luſtrat, & umbras,
Hic ut vos, vates, lætè *Pæana* canentes
Vos juvat è ſcatebris rivos, & fonte perenni
Libare, ut liquido currit pede lympha per agros.
Dic age, *Phœbe* Pater, toto orbe beatior illâ
Quæ ſit terra tibi? plaudunt ſibi nempe ſorores
Aonides, cantúq; novo velùt excita tellus
Ipſa ſibi plaudit, certè pia turba reſultat,
Et ſibi *Parnaſſum* noſtris gratatur in arvis.
Ergò age cum cœlum, tellus, & ſidera votis
Arrident, ſacræ pandas oracula terræ,
Et fruere hoſpitio hìc, invito *Marte*, per ævum,
Ipſe pater *Thameſis*, fulvas oſtendit arenas

Mimeſis Virgiliana.

Atque

Atque ſinus aperit latos, feſſæq; carinæ,
Quæ te per dubios fluctus, ſyrtéſq; vehebat,
Uberioris aquæ campos reſerátq; jubétq;
Oxonium tua vela volent felicibus Euris.
Cum lambes ductas ſeptem de fontibus undas, Fluvius *Charwel.*
Hic ubi tu lato *Thameſi* conjungeris *Iſis*,
Alterius ſtupefactus aquis, cœlóq; ſereno
Perſtrictus, quam ſint noſtris hæc rura poëtis
Pulchra ſatis, dices, fuerint quam culmina *Pindi*
Nuda mihi, cum quæ circumſtant undíq; ſylvæ
Umbram oculis referent, cumulatáq; munere cernes
Prata laboratæ *Cereris*. "*Miracula Memphis*
Barbara Pyramidum ſileat, ſtupor ipſe ſtupeſcit
Cum quæ ſunt illic videas aſſurgere cœlo
Culmina, turritas moles, & *Apollinis* arces.
Singula quid referam? Attoniti latera ultima mundi
Fama replet, volat egregium, & venerabile nomen,
Magnificum, celebre, ac ingens ſuper æthera noti
Oxonii, quamvis ſacris hìc antra deabus
Et domus, & ſedes, nec non penetralia *Phœbo*
Eſſe queant, aliò placeat deducere muſas.
I, lauros, I, quære novas, nova flumina quære,
Phœbe age, tolle moram, tibi laurea ſerta parantur,
Hùc molire viam, *Camus* vocat: utere donis
Fluminis anguſti, largas profuſus in undas
Amnis inops, guſtes, opulentos dulciter hauſtus
Ille tibi epotat, mellis ſapor additur illis,
Queis nunquam ſimiles retuleruntfontibus amnes
Caſtaliis, his reddar aquis, his ebrius optem
Granta tibi, vates dignas te reddere laudes!
Quæ vox, quis fremitus noſtras modò dulciter aures
Impulerat? mihi prata novis reſonare *Camænis*

Audiri

Audiri videor, cantu ſonat amnis, & omnis
Pulſa palus: non ſic venturæ mortis olores
Ad vada *Mæandri* præcognita tempora cantant,
Hic ut lætitiæ cantant modulamina vates.
Quam vellet *Ganges*, vellet quam *Tibris*, & *Indus*,
Quam *Tagus*, & *Rhenus*, celſis de montibus orti,
Came, tuis miſceri undis, eructet arenas
Quilibet auriferas, gemmis, auróq; coruſcans,
Tu tamen invidiam per florida lenitèr arva
Omnibus, (an neſcis?) currens paris: æmulus orbis
Divitiis, opibúſq; tuis præconia pangit
Æqua tibi geſtítq; ſuos ſubmittere faſces
Granta tibi, quin fæta viris, gens quæq; diſertis
Alma parens, clamat, per te ſtudioſa juventus
Emicat in lauros, paciſq; ediſcere leges
Pacifica ipſa doces patriam, prætendis olivam
Regibus, extorques furialibus arma tyrannis,
Conſilii vis tanta tui eſt! documenta per orbem
Non ſecùs ac *Titan* radios diſpergis, & ipſe
Per te ſedari diſcit, *Mavortius* hoſtis
Tollere tela nequit, fruſtrà movet ille lacertos,
Dum tu detrectans bellum feritate cruentum
Ore tonas, ſic armâ ſilent, dum plectra loquuntur.
Alma parens, jam ſterne viam, choreísq; reſulta,
Nam modò turba tuis *Phœbæa* penatibus hoſpes
Succedit, (Mater!) præ te toto orbe relicto,
Fallor? an advenit? votis, animíſq; favete
Nunc vos, O Juvenes, modulamina veſtra parate,
Vos aptate novis non ſegnes cantibus aures,
Aſſidet, en! *Cami* ripis, ducítq; choreas
Pieridum Phœbus, *Camus* ſtupefactus in undis,
Siſtit aquas, per prata ſonus dum currit, & agros
Ipſe lyræ, exiliunt ſylvæ, quin rupibus *Ecchо*

Emodu-

Emodulans iterum cantus, ſonat: impiger haurit
Voce melos, rurſùm reſpondet cantibus *Eccho*.
O quoties, dum plectra movet *Cambrigia* Mater,
Orpheus attonitus nimium præconia laudat
Ut placet & Juvenum cantus! niſi fallimur, ipſæ
Vel dulces illâ ſuperantur voce camænæ.
Phœbus, ait, mihi pœnè chelys mea diſplicet, illo
Reddita muta ſono: vinci tamen ipſe decorum
Eſſe putat: meritis laurus, & ſerta parentur.
Gemmiferi, dicit, mulcebam carmine *Nymphas*
Sæpè *Tagi*, repetens undas, auriq; ſuſurrum,
Hæc magis alliciunt animos modulamina vatum,
Queis modò vena fluit vel & omni purior auro.
Dulciùs illa chelys ſomnum moviſſet *Averno*,
Dulciùs alliciens ſylvas, fluvióſq; ſonoros
Redderet illa melos, quam quod cantaſſe refertur
Orpheus, *Erudicem* revocans *Stygialibus* undis.
O ſi tam doctæ fierem pars parva cohortis,
Et mea, *Came*, tuis poſſem nunc tingere lymphis
Labra, tibi laudes, paulò majora canendo
Gratus & ipſe darem, mihi munera grata rependes,
Si non quæ cecini laudum jam præco tuarum
Indignus, durè ſub iniquo judice carpas,
Et, ſi non aliàs, hederâ ſertísq; corones
Ipſe tuum vatem, *Phœbus*, doctæq; *Camanæ*
Sic te ſemper ament, ad te ſic confluat orbis,
Ut guſtet ſapidas puris de fontibus undas.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

FINIS.

Cecinit in honorem Academiæ Encomiaſtes amicus.
Thomas Roche. A. M.